



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio IV. Vtrùm materia prima signata quantitate, ita sit principium individuationis, ut non solum formaliter sit principium individuationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. IV. Vtrum materia prima, &c. 305

lis physice, & non materialis; logico autem instructo singularitas est valde per accidens, quia nihil addit substantialiter perfectius speciei; quo in sensu singularitas dicitur accidentalis, non physice, sed logice; & in eodem sensu dicitur materialis; quia idem sonat materiale: & pe sæpius quod per accidens; non autem vocatur talis quia sumatur à materia.

Deinde divisionem ab alio entitativam, & substantialem non potest habere individuum à quantitate, quia quantitas supponit iam distinctionem seu divisionem in suo subiecto; unde solum divisionem, seu distinctionem, quantitativam, & accidentalem. Quod vero assertit Capreolus ex Aristotele asserente quantum est, quod dividi potest in ea; quorum unumquodque hoc aliud natum est esse non est ad rem, quia Aristoteles tantum vult quantum ratione quantitatis esse aptum ut dividatur in plura composita distincta adæquate, lignum enim bipedale est unum compositum actu; potentia vero plura, in qua potest dissecari, quæ divisio physica oritur à quantitate, quia licet materia prima sit divisibilis, non potest tamen actu dividi ab agente materiali, nisi quantitate afficiatur; nam instrumentum, quo dividenda esset, eadem penetraretur, cum & materia sit impenetrabilis per quantitatem, ita & per eandem est divisibilis ab agente materiali; hoc autem voluit Aristoteles, de quo interrogo à Capreolo quid utilitatis suæ sententiæ afferat, & quid nocumens, aut detrimenti nostræ, certe nihil, quia Aristoteles solum ibi agit de divisione physica; nos autem agimus de distinctione entitativa, & metaphysica: ergo non ad rem loquitur Capreolus, & adducit contra nos Aristotelem.

104 Ad quantum negandum est Antecedens; Deus enim ut suppono ex physice est potissima causa, quare hic, & nunc ab hoc agente, & ab hac materia hæc potius forma, quam illa educatur, & sic hoc potius individuum, quam aliud producat.



QVÆSTIO IV.

Unum materia prima signata quantitate, ita sit principium individuationis, ut non solum per ordinem ad quantitatem, sed per ipsam formaliter sit principium individuationis?

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

105 **C**APREOLUS in 2. dist. q. 1. art. 1. conclusionem, & articulum 2. in responsione ad argumentum contra illam, asserendo nihil aliud esse, quam materiam cum quantitate, seu quantitate affectam; ex his enim duobus censet hoc principium individuationis quasi integrari, ita ut materia det incommunicabilitatem, quantitas autem formalis, qua materia afficitur, distinctionem. R. P. Ildaph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

nem: hanc explicationem sequuntur etiam Ferrata 2. contra Genes, cap. 2. 2. & Sonzinas, lib. 7. quæst. 34. favet D. Thomas q. 2. de veritat. art. 6. ad 2. & q. 16. de maiori. art. 1. ad 18. & super Boetium de Trinit. & alibi.

Magister Bannes lib. 1. de generat. q. 3. art. 8. dist. 2. per materiam signatam quantitate intelligit materiam aff. Etiam ipsa quantitate, non quidem ut quantitas sit comprincipium cum materia individuationis, sed potius ut sit conditio sine qua non materia esset principium individuationis, & ita principium formaliter est sola materia prima; quantitas autem est requisitum vel conditio ad hoc, ut talis materia sit principium, quia illa non causat individuationem rei substantialis, nisi ut unita formæ, & non est unita, nisi cum hac quantitate, tanquam dispositione concomitante; unde hæc determinata quantitas erit potius conditio requisita sine qua non comprincipium individuationis rei substantialis, & licet tam varie sentiant Thomistæ de hac materia signata, nihilominus omnes consentiunt, ingenueque fatentur illam esse principium individuationis; quorum sententia probatur.

Primo, si materia signata quantitate non esset principium intrinsecum individuationis substantiæ corporeæ completæ, illud esset hæcceitas, ut vult Scotus, vel forma substantialis ut alij; sed neque hæcceitas, neque forma substantialis possunt esse principium intrinsecum individuationis substantiæ corporeæ completæ: ergo non hæcceitas; quia in primis Scotus, qui primus illam invenit in scholas, intelligit per hæcceitatem differentiam individualement ex natura rei distinctam à natura, quam terminat, & constituit singularem; sed differentia ex natura rei distincta à natura specifica, est impossibilis, ut late à nobis probatum manet in Dialectica: ergo. Item ideo Scotus existimat per hæcceitatem naturas constitui singulares, & individuas, quia putat naturas ex se esse universales, fieri vero singulares per hæcceitatem; sed falsum est, naturas ex se esse universales, vel habere statum aliquem medium extra animam, in quo sint universales, vel præscindant ab universalitate, & singularitate, ut ex dictis late in Logica patet: ergo. Tandem secundum eundem Scotum naturæ sunt singulares per hæcceitatem, quia ex se sunt indifferentes ad universalitatem, & singularitatem; sed hæcceitas, etiam est indifferens ad singularitatem, & universalitatem; potest enim abstrahi ratio aliqua communis hæcceitatis ab hac, & illa hæcceitate: ergo fiet singularis per aliam hæcceitatem, & sic procedetur in infinitum, vel saltem necessario dicendum est, tam insufficientem esse hæcceitatem ad individuas naturas communes, quam ipsas naturas communes, ut à seipsis individuentur.

Denique neque potest esse forma substantialis principium individuationis, quia principium individuationis est principium incommunicabilitatis individui in pluribus, tanquam in subiectis; sed forma non est principium huius incommunicabilitatis, quia ex se est communicabilis alteri ut subiecto: ergo.

Secundo, quia individuum est primum subiectum in metaphysica coordinatione; de illa enim omnia superiora prædicantur, & ipsum non de alijs: ergo primum principium, & fundamentum individui ut sic esse debet illud, quod est primum subiectum.

Qq

306 Disp. IV. De principio individuationis,

subiectum inter principia physica; huiusmodi autem est materia: ergo.

SECTIO II.

Nostri sententia ponitur.

Conclusio: materia signata quantitate ut ponitur à Capreolo, non est principium intrinsecum individuationis; hæc conclusio sic probatur.

Primo, quia nihil aliud est principium intrinsecum individuationis, nisi principium intrinsece constitutum individui substantiæ completæ physice, & sic fundamentum individuationis metaphysice; sed materia prima formaliter signata quantitate non potest esse principium constitutum intrinsecum substantiæ completæ physice individui: ergo non potest esse principium individuationis metaphysice. Maior est evidens in sententia Adversariorum, quia entitas physica ut talis est fundamentum entitatis metaphysicæ, & sic genus in eorum sententia fundatur in materia prima, & differentia in forma physica, constitutio hominis metaphysica in compositione physica illius, sicut etiam abstractum, & concretum metaphysicum in abstractis, & concretis metaphysicis, & ratio evidens est, quia nullo alio modo potest materia prima esse principium intrinsecum individuationis, nisi dando physicum esse individui, & constituendo illud, quatenus tale; sicut ideo forma est principium differentie essentialis non propter aliam rationem, nisi quia constituit essentialiter physicè in tali essentia; v. g. anima rationalis in essentia hominis physice distincta ab essentia equi; physice enim non distinguimur per materias: sed per formas, materia enim eiusdem essentiae sunt, & solum numero distincta, imò eadem numero materia potest esse in duplici composito essentialiter distincto, ut successively est in homine, & in cadavere, & per potentiam Dei absolutam si eadem numero materia informaretur forma hominis, & Leonis simul, ubi darentur duo composita specie distincta, simul eadem numero materia constantia: ergo si materia prima est principium intrinsecum individuationis metaphysicæ, erit constituendo physice individuum physicum in suo esse singulari distincto numerice à quolibet alio. Minor præcipua sic probatur; quia Petrus, v. g. in quantum individuum, & ut tale singulare est totum substantiale, ita ut ipsamet individuationis substantialis sit, quia identificatur cum essentia, quæ substantia est; sed totum substantiale completum in quantum substantia est, non potest constitui intrinsece in suo esse substantiali per materiam formaliter; ut signatam quantitate, & ut affectam illa formaliter: ergo materia signata, &c. Hæc minor sic probatur primo, quia esse substantiale ut tale in esse substantiæ non potest constitui per accidentale, ut tales; sed materia signata quantitate, ut signata reduplicative est quid accidentale, quia ut sic reduplicative est quantum; sicut subiectum ut affectum albedine in quantum tale reduplicative est album; atqui album, & quantum ut talia accidentalia sunt; quia concreta sunt ex materia prima & forma accidentali; maior evidens est, ut probatum manet latissime in prædicamento quan-

titatis, quæstione Vtrum quantitas tribuat partes substantiæ: & ratio evidens est, quia esse accidentale est inferioris ordinis respectu esse substantialis; sed quod est superioris ordinis non potest constitui intrinsece in suo esse superiori à re inferioris ordinis, ut ratio creaturæ non potest constituere Deum in esse Dei, & negatio ut negatio non potest constituere positivum in esse positivi formaliter, & modus ut modus non potest constituere rem in esse realitatis formaliter, & ratio evidens est, quia nemo dat, quod non habet, evidenter hoc convincitur à minori ad maius, quia res inferioris gradus, quod est minus non potest constituere rem superioris ordinis, in esse illius gradus propter excessum superioritatis, & inferioritatis, licet inter gradus inferiores, & superiores detur minor excessus, ac datur inter res inferioris, & superioris ordinis, quia semper hic est excessus causans analogiam in sententia Thomistarum; cum ibi sit excessus intra univocationem, v. g. entitas corporea, & substantia materialis non potest constituere substantiam spiritalem in esse spiritualis, & forma bruti non potest constituere in esse intellectivi, & qualitas naturalis non potest constituere in esse, & gradu supernaturali: ergo à fortiori illud quod est inferioris ordinis, non poterit constituere in esse superioris ordinis propter maiorem excessum: ergo accidentale ut tale, quod est inferioris ordinis, non poterit constituere substantiale in esse substantialis, quod est superioris ordinis; quis enim vnquam dixit album ut album reduplicative, ut est in Eucharistia posse constituere Angelum in esse Angeli, vel hominem in esse hominis, & ratio est, quia album est accidentale, & homo est quid substantiale; sed quantum ut quantum, ut est materia signata quantitate, est quantum: ergo materia signata quatenus signata, non potest constituere Petrum in esse individui, & singularis, quia quatenus tale individuum est quoddam totum substantiale, & substantia completa.

Secundo idem probatur, quia individuum physicum substantiale ut tale est ens per se simpliciter, & accidentale ut tale, v. g. quantum compositum ex materia prima, forma quantitatis, & cæteris circumstantiis, & accidentibus est ens simpliciter per accidens in vestra sententia, cum sit ens compositum ex rebus omnino diversis in ordine ad ens per accidens, non potest constituere ens per se: ergo materia signata quantitate, qualitatibus, & cæteris quæ faciunt unum ens per accidens, non poterit esse principium intrinsecum constitutum individui substantialis in quantum talis, quod est ens per se simpliciter.

Tertio, idem probatur, quia si materia prima signata quantitate constituit intrinsece Petrum in quantum Petrum constituit illum in quodam esse, quod identificatur cum essentia Petri, hoc est cum ratione hominis existentis in Petro; Thomistæ enim contra Scotum asserunt individuum non distingui à parte rei à natura specifica; sed si materia cum quantitate formaliter constitueret Petrum in esse individui, individuationis sine dubio distingueretur à natura specifica, non solum formaliter ex natura rei, sed realiter absolute; unde Thomistæ negantes minus, hoc est distinctionem Scoticam, cogentur fateri maiorem distinctionem, ut est realis: ergo ne hoc

Quaest. IV. Vtrum materia prima, &c. 307

hoc absurdum sequatur materia prima quanta non constituit individuum substantiale ut tale. Minor illa sic probatur, quia omne principium intrinsecum constitutum rei in suo primo esse includitur realiter in constituto, & etiam est de substantia illius rei, ut talis est, v.g. de essentia hominis est anima, & materia, & unio substantialis; atqui materia cum quantitate est principium intrinsecum individui in esse individui formaliter; ergo minimum includitur realiter, & est de intrinseca constitutione individui ut talis est materia prima & quantitas; unde individuum ut tale includit necessario quantitatem, quae est realitas quaedam, quam non includit realiter essentia individui specifica, quia essentia specifica solum includit praedicata substantia realiter; v.g. substantiam viventem, sensibilem, rationalem, &c. quia essentialiter, & adequate substantia est; sed individuum includit praeter praedicata substantia quantitatem realiter distinctam a substantia: ergo individuum realiter, & non solum minima distinctione ex natura rei, quam admittit Scotus distinguitur a natura specifica.

9. Clarius demonstratur; id, quod est ens per accidens, distinguitur realiter ab ente per se; sed supposita vestra sententia individuum Petri, v.g. quae includit in suo esse quantitatem, est ens per accidens, & natura specifica est ens solum substantiale, & per se: ergo distinguitur realiter individuum Petri a natura specifica: ne ergo haec dicantur, dicendum est, individuationem non includere quantitatem, neque quantitatem esse principium intrinsecum individuationis, quia contra tale principium procedunt omnia argumenta, quibus probavimus supra collectionem accidentium non posse esse principium intrinsecum individuationis; quod sic demonstratur a paritate rationis.

10. Ideo collectio accidentium non potest esse principium intrinsecum individuationis in substantijs, quia res substantialis individua non ponitur per se in praedicamento substantiae, quia non esset ens per se, sed omnino per accidens; sed etiam si materia signata quantitate esset principium intrinsecum individuationis, individuum substantiale esset unum non per se, sed per accidens, ac proinde non ponitur per se in praedicamento substantiae: ergo, Pater minor, illud quod includit aliquod accidens intrinsece, & non solum includit partes substantiales, non est ens per se, sed ens per accidens, ac proinde non ponitur per se in praedicamento substantiae; sed si materia signata quantitate esset principium intrinsecum individuationis individuum substantiale includeret intrinsece aliquod accidens: ergo non esset ens per se, nec ponitur in praedicamento substantiae, sed potius, ut supradixi, esset ens per accidens; Maior constat ex dictis supra; probatur minor. Individuum substantiale includit intrinsece principium intrinsecum suae individuationis; sed principium intrinsecum individuationis est quantitas, quae est aliquod accidens: ergo includeret aliquod accidens.

SVBSECTIO I.

Solutio Adversariorum refutatur.

11. Dices, in principio individuationis dari duo, scilicet quod sit haec materia, & quod sit di-

P.R. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

stincta intrinsece ab alia, primum habet materia prima a se, secundum a quantitate.

Sed contra primo nihil distinguitur ab alio realiter per aliquid distinctum realiter a seipso; sed quantitas distinguitur realiter ab hac materia prima: ergo haec materia prima non potest distinguui realiter ab alia per hanc quantitatem. Maiorem probavi late in logica. Minor est evidens; quia haec quantitas potest separari realiter ab hac materia prima: ergo distinguitur realiter ab illa. Contra secundo, distinctio unius ab alio est negatio fundata immediate in entitate ipsius rei, quae distinguitur ab alia: ergo haec materia prima non distinguitur ab alia per quantitatem. Antecedens est evidens; quia negatio unius ab alio sequitur immediate ex unitate, quia unum est indivisum in se, & divisum a quolibet alio; sed unitas dicit ipsam entitatem rei: ergo negatio divisionis ab alio fundatur immediate in ipsa entitate positiva; sed materia prima praecisa quantitate est una formaliter, ut constat ex dictis supra, quia est unum ens: ergo materia prima praecisa quantitate est indivisa in se, & divisa a quolibet alio: ergo materia prima non distinguitur ab alio per quantitatem.

13. Urgetur; quia materia per illam rationem distinguitur ab alijs rebus, per quam intrinsece constituitur in suo esse, idem enim est constitutum, ac distinctivum alicuius; homo, v.g. sua rationalitate constituitur essentialiter in esse hominis, & distinguitur essentialiter ab equo, sicut Deus Deitate est alius a creatura, & Petrus petreitate est distinctus, & alius a Paulo: ratio a priori est manifesta, quia ultimum, & principalius constitutum rei est differentia: sed differentia est distinctivum, quia per differentiam differt aliquid ab alio; sed differt, & distingui sunt synonyma: ergo si differentia constituit in esse differentis, constituet sine dubio in esse distincti: ergo id, quod constituit ultimo aliquid, est id per quod distinguitur ab alio; sed materia prima, aut compositum non constituitur intrinsece per quantitatem in esse talis secundum veritatem, & ut vos dicitis, quia quantitas est accidens, & eccitas materiae est substantia, & substantia non constituitur in esse substantiae per accidens: ergo materia non eget quantitate ad sui distinctionem.

14. Confirmatur, si Deus per possibile, aut impossibile conservaret materiam primam huius ligni sine quantitate, & etiam materiam primam Petri; haec materia prima distingueretur realiter a materia prima Petri: ergo haec materia huius ligni non distinguitur realiter ab alia materia prima Petri per quantitatem: consequentia est evidens; quia separata forma, non potest dari effectus formalis illius: ergo si esset effectus formalis quantitatis distinctio unius materiae ab alia, separata quantitate, non daretur distinctio unius materiae ab alia: primum antecedens est evidens; quia illa, quae semel distinguuntur realiter, adhuc per potentiam Dei absolutam non possunt identificari realiter; sed materia prima huius ligni sub quantitate distinguitur realiter a materia prima Petri: ergo adhuc per potentiam Dei absolutam non potest non distinguui ab illa. Maior probata manet supra; quia si illud, quod distinguitur ab alio, identificaretur cum illo, esset ipsum, & non ipsum, quod est contra principium illud lumine naturae notum; quodlibet est, vel non est. Minor etiam est evidens.

Amplius urgetur, quia materia prima in sen-

Q9 2 tentia

tentia Thomistarum in instanti generationis prius natura, quam recipiat formam substantialem, remanet nuda omni accidente, & sine vlla entitate illi superaddita: ergo manet æque indifferens ac de se exiit, & nihilominus in instanti generationis, & pro illo priori est individua, & determinata; quia est causa realis, & causa realis est individua, & singularis; ergo potentia, & entitas eius non est singularis, & determinata ad hanc, & per hanc quantitatem, quia intelligi non potest, quod potentia de se indifferens determinetur sine additione vlla, vel mutatione in ipsa facta, neque ipsa connotatio sufficit cum potentialitate, & virtute materiæ, cum talis potentialitas, & virtus simul cum connotatione materiæ, non sit ad aliquod accides determinatum, sed ad infinita indeterminata accidentia: ergo per talem potentiam, & connotationem sic indeterminatam non sigillatur ad hoc individuum. Maior per se nota est ex natura materiæ, minor etiam est nota apud Thomistas, quia ante formam substantialem nihil aliud substantiale potest præintelligi additum materiæ; quid enim illud esset, aut à quo fieret, aut à quo fundamento poneretur. Item, quia si materia prima, quæ indifferens est, de se potest determinari ad aliquem modum sine alio addito, alias procederetur in infinitum, quare non poterit determinari sine modo alio distincto ad modum informationis huius formæ substantialem; neque etiam id, per quod determinatur talis materia, est aliquid accidentale; quia nullum accidens præcedit in materia ante formam substantialem, & in omnium sententia nullum accidens præcedit in materia ipsam quantitatem.

16 Respondent adversarij, materiam in illo instanti determinari, vel per actionem etiam agentis, non quam habet actu in instanti generationis, sed quam habuit immediate ante illud instans, vel per dispositiones præexistentes ante instans generationis.

17 Sed contra; quia neque extrinsece, neque intrinsece est actu determinata propter actionem, aut dispositiones præteritas: ergo nullo modo determinatur ab illis. Antecedens sic probatur, quia omnis actualis effectus in genere causæ formalis petit actualem causam formalem, sive extrinsecam, sive intrinsecam: in extrinsecis clarum est; nam paries non dicitur actu visus, & homo non dicitur actu intellectus, & amatus per visionem, intellectionem, vel amorem futurum aut præteritum in re actu existentem, & per visionem, & intellectionem actu inhaerentem in intelligente, & vidente, quæ formæ extrinsece se habent respectu amati, intellectus, & visi. De intrinsecis evidentius patet; quomodo enim potest dici paries actu intrinsece albus per albedinem præteritam, & quæ actu non est in pariete, quia dum actu albedo non est, potest esse nigredo, quæ est contraria albedini, vel potest esse privatio ipsius albedinis, sed cum nigredine, vel cū privatione albedinis non potest denominari, nec constitui paries albus; ergo sine albedine actu nec est, nec dicitur albus paries, aut extrinsece, aut intrinsece; ratio evidens horum fundatur in duplici clarissimo principio; primum est, quod nihil potest esse actu, & existere sine actuali esse essentiali, & existentiali, quia res sine sua essentia, & existentia nullo modo potest intelligi; res enim non distinguitur à sua essentia, si adæquata est; unde existeret, & esset, & non esset sine sua essentia, & existentia; si autem inadæ-

quata est essentia, & existentia, adhuc sine illis non potest intelligi, nec esse res; quomodo enim homo posset esse, & intelligi sine animo rationali, & ratio est, quia licet sit essentia inadæquata, nihilominus essentia proprie est; sed essentia ex eo quod essentia sit, est maxime intrinsecum, & necessarium simpliciter constitutum, ut tale est, sine quo minime res aut esse, aut intelligi potest; unde si sine essentia esset res, essentia esset necessarium simpliciter, & non necessarium simpliciter constitutum; unde idem simul esset, & non esset; sed forma actualis est de essentia effectus formalis actualis, ita ut si effectus formalis actualis sit extrinsecus, forma extrinseca actualis erit de essentia talis effectus formalis extrinseci; si autem sit intrinsecus effectus actualis, intrinseca forma actualis erit de essentia illius, quia forma est pars essentie adæquate effectus, cum essentia adæquata actualis nihil aliud sit, nisi forma, materia, & unio.

Secundum principium est, quia nemo dat, quod 18 non habet; sed forma dat esse effectui formali, & effectus formalis actualis accipit esse à forma; atqui forma, quæ actu non est, & est præterita, nec est, nec habet esse actuale: ergo non potest illa dare esse actuale; alias daret esse, quod non habet, quod est contra lumen naturæ, quibus evidenter probatum manet, quod forma, sive intrinseca, sive extrinseca sit, dum actu non est, non possit actu dare suum effectum formalem; sed materia actu determinata, sive intrinsece, sive extrinsece est effectus formalis actionis, vel dispositionis: ergo in illo instanti nullo modo est materia, aut extrinsece, aut intrinsece actu determinata, siquidem neque intrinsece, neque extrinsece actu sunt actio, & dispositiones, nā illud, quod destructum, & ideo præteritum est, nullo modo actu est: ergo. Præterea, quia si extrinsece determinetur actu non potest propterea sic esse principium individuationis, quia materia signata quantitate in sententia Thomistarum est intrinsecum principium individuationis, non ut materia præcise, sed ut reduplicative determinata per quantitatem; sed ut determinata non est intrinsece talis, sed extrinsece: ergo non potest esse principium ut sic intrinsecum, quia illud, quod extrinsecum est, non potest esse propterea sic intrinsecum principium, ut videre est in visione, quæ quia extrinseca est respectu parietis visi, non potest esse principium intrinsecum illius, quia oppositiones, contradictoria rationes, seu conditiones petunt principium intrinsecum, & extrinsecum respectu eiusdem; nam ad hoc, ut aliquid sit principium intrinsecum debet esse intrinseca entitas, & intime vnita principia- to, & ad hoc ut sit principium extrinsecum, debet esse non intrinseca entitas, nec intrinsece vnitas subiecto; atqui esse intrinsecam, nec intrinsece vnitam, & esse non intrinsecam, nec intrinsece vnitam, sunt contradictoria rationes, quæ non possunt in eadem entitate reperiri; idem enim non potest esse, & non esse: ergo illa entitas, quæ extrinseca est, vel extrinsece talis non potest propterea sic esse principium intrinsecum alicuius, quare si materia prima propterea reduplicative determinata est principium individuationis, & propterea sic est extrinsece determinata: ergo propterea sic non poterit esse principium intrinsecum individuationis.

Urgetur ad hominem, quia eadem numero materia successive habet plures quantitates numero distinctas, nam eadem materia, quæ erat sub forma

ma hominis, & mortuo homine est sub forma cadaveris, & destructa forma cadaveris est sub forma, vel cineris, vel terræ tot mutat quantitates, quot mutat formas, quia in vestra sententia quantitas, & accidentia subiectantur in toto composito, ita ut destructis compositis destruantur quantitates, & accidentia, totque variantur, quot variantur composita; sed destructis formis substantialibus, destruantur composita, quæ essentialiter ab illis formis dependent, & non destruitur materia prima, sed eadem numero manet sub diversis formis, & in diversis compositis: ergo eadem numero manens successive recipit varias, ac distinctas numero quantitates, alias si mutaret individuationes, & singularitates, singularitas, & individuatō distingueretur ex natura rei à natura essentiali materiæ primæ, siquidem eadem essentia materiæ primæ quoad speciem manet destructa, & mutata singularitate, quia illa, quæ separantur ita ut vnum destruat, manente alio, non sunt idem à parte rei, nec potest dici, quod etiam dum destruitur compositum, ad cuius destructionem destruitur differentia individualis materiæ, destruat simul essentia illius, quia si quando equus moritur, eum destruitur forma equi, certum est etiam unionem destrui, & per vos, etiam destruat materia prima quoad essentiam, & quoad individuationem, sine dubio annihilabitur equus absolute; & illud proloquium evidens naturaliter falsificabitur, videlicet, quod in destructione cuiuscunque mixti remanet eadem materia prima, quia naturaliter impossibile est annihilatio: ergo ut verificetur hoc principium, necessario fatendum est, eandem numero materiam primam, manendo eandem numero, recipere plures quantitates, quia per te in quavis generatione substantiali corrumpitur quantitas, & omnia accidentia; quia resolutio fit usque ad materiam primam: ergo individuatō materiæ primæ non est ab una numero quantitate, siquidem variatione tot quantitatū manet eadem numero materia; quod sic evidenter in sententia Thomistarum meo videri demonstratur.

²⁰ Nam Thomistæ asserunt, ideo non posse reproduci hoc numero tempus reale; quia non potest iterum redire hoc numero tempus imaginarium; cum autem tempus reale individuetur, ac sumat suam individuationem à tempore imaginario, non redente illo, nec iterum existente asserunt hi Authores non posse adhuc divinitus existere, ac de novo reproduci hoc numero tempus, quod dependet intrinsece à tempore imaginario. Tunc sic per vos, sicut hoc tempus reale, quia sumit suam individuationem ab hoc tempore imaginario fluente, non existente illo, licet existant alia tempora imaginaria, non potest idem tempus reale existere individuum, quod non habet homo, qui idem numero existit coexistendo successive ad varia tempora imaginaria, quia homo non individuat à tempore imaginario; sed per vos materia prima individuat ab ordine, & connotatione ad hanc numero quantitatē; sicut tempus reale ab ordine ad tempus imaginarium, & sicut vbi ad hoc spatium imaginarium; ergo materia prima non potest esse eadem numero sub hac, & sub illa, & sub infinitis quantitatibus, nec poterit perseverare in sua unitate numerica, destructa hac numero quantitate, quæ est terminus ordinis transcendentis, & connotationis, per quam sumit suam individuationem materia prima; sicut non potest esse idem numero tempus cum alio tempore imagina-

rio, præter hoc, quod est terminus relationis transcendentis individuationis huius temporis; & sicut hoc vbi, seu præsentia, non potest esse idem numero in alio loco, præter hunc, quia hic, & non ibi coexistit huic numero spatio imaginario, quod est terminus relationis transcendentis, seu connotationis, per quam individuat hoc numero vbi, & hæc numero præsentia.

Clarius exemplum; quia hæc numero visio individuat ab hoc numero obiecto, non potest eadem manere, destructo hoc numero obiecto cum alio, à quo non individuat, & idem est de hac actione, & hac relatione; sed materia prima individuat per vos ab ordine ab hac numero quantitate: ergo non potest esse eadem numero sub alia quantitate; sed vere, & realiter eadem numero sub hac, & illa, & diversis numero quantitatibus; ergo signum evidens est non individuari ab ordine ad hanc numero quantitatē, siquidem, sine illa, cum alia, & alia, & sic in infinitum manet eadem numero materia, licet quantitas distincta; nam si individuetur, non posset esse eadem numero, sine hac, in ordine ad quam individuat cum alia distincta. Patet hoc evidenter ex illo principio, vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, &c. sed quia in actuali visione, & in præsentia seu vbi sumitur ratio individuationis ab hoc numero termino producto, ab hoc numero obiecto viso, ab hoc numero spatio imaginario, non potest esse eadem numero visio cum alio obiecto idem numero vbi in alio spatio, eadem numero actio cum alio termino; sed in materia prima datur eadem ratio formalis individuari se in ordine ad quantitatē, quæ datur in visione respectu huius vbi, &c. ergo dabitur idem effectus formalis in materia, scilicet quod non possit existere, nec esse sine hac numero quantitate; sicut visio non potest esse sine hoc numero obiecto, &c. sed potest esse eadem numero materia prima, vti iam dixi: ergo non datur in ea illa ratio formalis individuari se in ordine ad hanc numero quantitatē, & per connotationem ad eam.

SVBSECTIO II.

Secundum argumentum principale ponitur.

Quia vel quantitas, in qua fit reduplicatio, ²¹ quando dicitur materia signata quantitate, ut signata est ipsa quantitate, est principium individuationis materiæ primæ solum, vel formæ solum, vel totius compositi, nullius ex his: ergo. Probatur minor quoad primam partem; nam materia prima præcedit realiter ipsam quantitatē, ut subiectum reale existens, & singulare: ergo non habet à quantitate singularitatem. Item neque forma est individua intrinsece per quantitatē; quod clarissime patet in anima rationali, quia est spiritalis substantia usque ad ultimam individuationem: ergo non accipit illam ab accidenti corporeo, & materiali, vti est quantitas, de omni autem forma substantiali sic probatur; quia principium intrinsecum individuationis debet esse proprium rei, quam reddit singularem, & debet esse intrinsece in illa, quatenus talis; sed quantitas etiam terminata non est in forma, alias forma non penetraret totam materiam, sed vel in toto composito est quantitas, à quo non potest fieri argumentum ad quancunque partem divisive, ut ipsi Thomi-

Qq 3 sta

310 Disp. IV. De principio individuationis,

ita toto conatu asserunt; item non est propria vnus formæ; sed corrupta hac forma substantiali, eadem, & sub eisdem terminationibus, vt supra exemplis demonstratum manet, perseverat cum alia forma; quod sic probatur. In consecratione hostiæ, vt supra diximus, vbi manet illa numero quantitas sine forma, vnione, & materia panis, & iterum vnitur illa quantitas alteri formæ substantiali, dum sit alimentum in sacerdote, & nutritio ex speciebus sacramentalibus, vbi in sententia omnium producit alia substantia, cui vnitur illa eadem quantitas: ergo quantitas non petit hanc, vel illam formam, siue talis quantitas sit terminata, vel interminata, sed quancunque aliam indifferentem: ergo non determinatur ad hanc formam potius quam ad aliam, præcipue quia semper principium intrinsecum alicuius individuationis est de intrinseca entitate, & quidditate individui, pertinetque ad prædicamentum illius; sed quantitas non est principium de intrinseca quidditate formæ substantialis; sicut nec materia, nec compositi substantialis, constituitque diversum prædicamentum à prædicamento substantiæ.

22 Neque quantitas potest esse principium individuationis totius compositi: primo quia totum compositum se non differt à materia, & forma simul, & collectim sumptis, & vnitis; sed materia, forma, & vnio, quæ entitates substantiales sunt, non sunt singulares per quantitatem, vt iam ostendimus.

23 Secundo, quia non potest totum compositum individuari à quantitate præterita, vt diximus, quia illa nec est nec illo modo pertinet ad compositum, quod nunc est, sed potius ad illud, quod ante fuit, & nunc non est, nec ab illa, quæ actu est in composito; quia actus physicus singularis supponit potentiam physicam singularem; sed quantitas est actus physicus singularis huius, potentia receptiva est totum compositum: ergo totum compositum supponitur iam constitutum complete, & adæquate intrinsece ad recipiendam quantitatem: ergo talis quantitas non constituit compositum in esse individui; alias quantitas supponeretur autem se ipsam constituta, quod est absurdum.

24 Tercio, actio productiva totius compositi substantialis est diversa actio, & in Thomistarum sententia simpliciter prior actione, quæ terminatur ad quantitatem, quam subiicit in se totum compositum, quia actio, qua producit quantitas supponit formam substantialem actu constituentem compositum, tanquam principium sui: ergo quantitas non est principium individuationis compositi substantialis: patet consequentia; compositum in prioritate naturæ, qua terminat actionem productivam sui, & causatur per formam substantialem est singulare, & individuum, quia nihil à parte rei, vt vniversale producit, sed vt sic non præintelligitur affectum quantitatem, neque hanc in se recepisse: ergo singularitatem, seu individuationem non habet à quantitate, cum pro illo priori sit singulare à se, & non à quantitate, cum non habeat hanc quantitatem, imo quantum est de se illud individuum singulare substantiale est indifferens ad hanc, & illam quantitatem numero distinctas, & pro sola voluntate, & libertate Dei determinatur ad hanc potius numero, quam ad aliam quantitatem; sicut anima rationalis non ex se, sed ex voluntate Dei deter-

minatur potius ad hunc numero intellectum, quæ ad alium numero distinctum recipiendum, anima enim intellectum petit huius speciei non vero hunc, vel illum numero, sed quancunque intra illam speciem intellectus, sicut causa secunda operans ex se petit hanc, vel illam speciem actionis, non tamen hanc, vel illam numero determinate, quia determinatio quoad individuationem actionis est à Deo, & in hoc fundatur prologium illud, ac receptissimum pronuntiatum, nimium causa secunda determinat primam quoad speciem, causa autem prima secundam quoad individuationem.

Et si dicas non per solam quantitatem, sed per 25 illam hoc loco, & hoc tempore, & alijs circumstantijs individuari.

Contra; quia omnia illa individua accidentia, 26 præter locum, & tempus, de quibus dicemus nunc, constituunt cum materia esse accidentale, ens per accidens, & non ens per se; sed vt diximus totum accidentale, totum per accidens non potest constituere substantiale, & ens per se simpliciter: ergo omnia illa accidentia cum materia prima non possunt constituere simpliciter individuum quod est ens per se, & ens substantiale simpliciter; de loco, & tempore, etiam sic demonstratur, quia Deus producit in resurrectione eisdem numero homines secundum illud Iob: ego ipse, & non alius, in pelle mea videbo Deum salvatorem meum; quo loco convicit Divus Gregorius identitatem hominum productorum, & resurgentium in die iudicii, & nunc viventium in mundo, contra Archiepiscopum Constantinopolitanum; sed necessario erit illa resurrectio in alio tempore distincto ab eo, quo tales homines resurgentes de novo producti sunt, quia in sententia Thomistarum idem numero tempus, quod præterijt, adhuc de potentia Dei absoluta non potest idem numero redire, quanto minus naturaliter: ergo hoc, vel illud tempus non dat individuationem subiecto, tum quia in varijs temporibus idem numero producit; tum quia naturaliter potest hic numero homo in hoc, vel in alio tempore pro mera libertate Dei produci. Item in eodem instanti temporis producuntur innumeri homines in varijs, ac diversis partibus terræ, & in illo instanti, in quo creavit Deus cælum, & terram pene innumera individua producta fuere. Item idem homo potest, etiam hoc, vel illo loco produci, & in eodem loco multa individua passim producuntur saltem successive, aliæ autem circumstantiæ nihil conducunt ad individuationem, quia principium individuationis debet esse intrinsecum substantiæ individui; hoc enim est, quod quærimus in hac questione; sed circumstantiæ ab adversarijs numeratæ sunt illi maxime extrinsecæ, v.g. tempus, locus, & agens: de agente patet; quia vt ex Phisicis constat, nulla substantia singularis petit determinate essentialiter aliquod agens vnivocum, sed divisim, & indiscriminatim potest produci à quolibet alio agente, & sine dubio immediate à Deo, vt Adam fuit electus in primum caput, & communem Parentem hominum: ergo materia signata quantitate, accidentibus, & circumstantijs minime conducit ad individuationem, & singularitatem substantiæ completæ, cum omnis individuatio sit substantiæ intrinseca, vt diximus, & omnia illa sint accidentia extrinseca.

Confirmatur ex Patre Suarez, ad quod suppono 27 duobus

Quæst. IV. Vtrum materia prima, &c. 311

duobus modis nos procedere posse primo in ea sententia, quam prædicti Authores tenent asserentem, quantitatem non esse in materia prima: sed in toto composito, & destitui corrupta substantia, & novam comparari ad generationem substantiæ, ex quo prius sit simpliciter loquendo, hanc numero formam substantialem introduci in hanc materiam, & consequi quantitatem; unde conficitur argumentum, quia hæc forma, cum primum intelligitur recipi in hac materia, intelligitur etiam recipi in materia distincta ab alijs: ergo formaliter, & intrinsece non fit distincta per quantitatem. Item ex materia, & forma præcise conceptis, & vt prævenientibus quantitatem, resultat hoc individuum substantiale: ergo illud vt sic vnum est, non vnitatem rationis, sed vnitatem reali, & singulari, ac transcendentali: ergo sicut ex vi sue entitatis substantialis est in se individuum, ita etiam est substantialiter, & entitative distinctum ab omnibus alijs: ergo non habet distinctionem per quantitatem.

18 Nec refert, si dicas in genere causæ materialis quantitatem esse priorem in materia, quam forma; tum quia in ea sententia id non potest commode, & consequenter dici, vt infra tractandum est; tum etiam, quia saltem id non potest intelligi secundum veram inhesionem quantitatis in materia, quia iuxta illud principium, quantitas nunquam inhaeret materiæ in duratione reali; sed composito: ergo neque in aliquo signo prior potest illi convenire, quia quod à parte rei, & in duratione reali non convenit, neque prius, neque posterius convenire potest; quantitas autem non facit rem divisam, aut distinctam ab alijs, nisi inherendo, & informando: ergo in nullo signo habet quantitas hunc effectum primo in materia, sed in toto composito; ergo supponit illud iam individuum, & consequenter alia priori divisione distinctum; tum denique, quia ad vim rationis satis est quod in aliquo genere causæ, quod simpliciter prius est materia, vt prævenit quantitatem, habet ex se distinctionem. Denique sic potest ratio concludi. Forma recipitur in materia nuda quantitate: ergo hæc forma in hac materia; quia generatio in singulari fit: ergo ex illis resultat hoc individuum ante adventum quantitatis. Immo illa advenit individuo iam constituto quod posset Deus sine quantitate servare distinctum ab omnibus alijs, vt supra late demonstratum manet: ergo quantitas intrinsece, ac formaliter non intrat principium individuationis, vel totius compositæ substantiæ, vel singularum partium, huius scilicet formæ, & materiæ.

19 Secundo procedere possumus in alia sententia, quod quantitas inest materiæ primæ, & manet eadem in genito, & corrupto, & tunc aliunde sumitur non minus efficax argumentum, quia non solum hæc materia secundum se; sed etiam vt affecta hac quantitate potest esse sub diversis formis, & consequenter in individuis numero distinctis, vt supra data opera probavimus: ergo non magis potest esse principium individuationis, quam sola materia; atque hæc rationes possunt procedere etiam in alia sententia, quod quantitas non sit in materia prima, sed in toto composito, quia quantitas accidens est: ergo in quocunque subiecto sit, non potest intrinsece constitutionem individui substantialis ingredi;

ergo non potest eius distinctionem efficere; unde abstrahendo ab alijs sententijs sic potest virgeri hæc veritas.

Quia licet res prius natura sit in se vna, quam sit distincta ab alijs, tamen hoc posterius intrinsece sequitur ex primo, aut solam per negationem, qua posito alio extremo, verum est dicere, hoc non esse illud, aut per relationem prædicamentalem resultantem in tali entitate quæ dicitur vna, supposita negatione identitatis, quæ reperitur in illa; itaque illud idem positivum, quod fundat vnitatem, quoad primam negationem seu indivisionem in se fundat consequenter posteriorem negationem, quæ distinctio ab alio dicitur aut relationem formalem prædicamentalem distinctionis per quam constituitur expresse in esse formaliter distincti, quo sensu dici solet, & verissimum est per illud rem distingui ab alijs, per quod in se constituitur, quia distinguitur per id, quo est, id est per id ipsum, quod est, fundat distinctionem; quo fere sensu dixit D. Thomas 1. p. quæst. 79. art. 2. ad 2. vnumquodque hoc modo habere vnitatem, quo habet esse, & patet in vnitatem specificam; nam eadem differentia, quæ constituit speciem in se vnam, facit illam cæteris speciebus distinctam; unde quod est principium talis differentiæ, est etiam principium non tantum vnitatis, sed etiam distinctionis specificæ: ergo similiter in vnitatem individuali id quod est principium individui, quoad constitutionem eius, & incommunicabilitatem, seu indivisibilitatem in se, est etiam principium distinctionis ab alijs, & e converso, quod est principium distinctionis debet etiam esse principium constitutionis: si ergo materia per se, & seclusa quantitate constituit individuum in se incommunicabile, & vnum, distinguit etiam illud ab alijs, vel si distinctionem dare non potest, neque incommunicabilitatem individuationis dare potest.

Nā incommunicabile hoc modo dicitur, quod ita est in se vnum, vt minime possit in multa similia dividi; quod autem huiusmodi est, ex hoc præcise habet, vt si alia existant, ab alijs distinguantur; idemque argumentum potest e converso fieri de quantitate, quod si illa est, quæ distinguit individua substantiæ, ipsa etiam debet ea constituere, vel e contrario si non potest constituere, vt verius est, quia vt diximus, cum sit accidens, est extra totam latitudinem substantiæ, & supponit potius subiectum individuum; neque etiam distinguere potest; unde etiam sic non pertinere ad effectum formalem quantitatis, distinguere entitative vnam materiam ab alijs, vel partem materiæ à parte materiæ; quia sicut quantitas supponit materiam vt subiectum, ita supponit individuum entitatem eius, quæ per se ipsam distincta est entitative ab alia entitate simili: ergo distinctæ quantitates supponunt distincta subiecta, in quibus recipiantur, & distinctæ partes quantitatis partes etiam subiecti entitative distinctas: Nam & hoc locum habet argumentum illud Caietani quod actus singularis supponit potentiam singularem, quod maxime verum est in actu, & potentia realiter distinctis, eo vel maxime, quod cum quantitas re distincta sit à materia, in qua inest, non potest illam facere distinctam à se ipsa: ergo supponit in illa entitatem, quæ per se potest distingui à sua quantitate: ergo per eandem poterit distinguere

qui ab omnibus alijs, quæ non sunt ipsa: ergo hoc non pertinet ad effectum formalem quantitatis; quod denique à posteriori confirmari potest ex dictis in prædicamento quantitatis: Nam si Deus separata quantitate, conservaret substantiam corporis Petri v. g. entitates partiales, quæ sunt in manibus, pedibus, capite, &c. semper manerent entitative distinctæ, siue manerent vnitæ, siue non, quia licet vna entitas possit coniungi, vel separari ab alia, tamen vnā fieri aliam, aut vtramque coalescere in vnā indivisibilem, conservando suam entitatem aperta repugnancia est, quia & essent distinctæ, & non essent distinctæ: distinctio ergo, quam supponit quantitas in substantia, est distinctio entitativa, & substantialis; hæc autem est, quæ per se pertinet ad vnitatem individualement, de qua tractamus; nam per hanc intelligitur individuum esse distinctum ab omnibus alijs; vel sub eadem specie, si cum similibus comparatur vel etiam sub genere, vel sub quocunque prædicato communis si cum omnibus alijs conferatur: ergo si aliquam distinctionem confert, quantitas illa erit per accidens ad rationem individui, & superveniens illi; non ergo ea ratione, pertinebit quantitas ad principium individuationis; de qua agimus, quod ex re ipsa explicatur.

32 Nam quantitas, sicut dat substantiæ vnitatem quantitativam, ita solum potest dare, vel distinctionem quantitativam, vel situalement, quarum prior consistit in hoc quod vna substantia sit sub diversis terminis quantitatis ab alia, & ita non sit continua illi continuatione propria quantitatis. Posterior autem consistit in hoc, quod vna substantia sit extra situm, & locum alterius, unde etiam salvatur quod quantitas ita distinguit sicut constituit; primo enim facit substantiam in se extensam vnitatem, & terminatam quantitativè, & habentem hanc corpoream molem, consequenter vero facit illam replere spatium locale, & similiter primario distinguit quantitativè, & deinde situaliter, tota autem hæc distinctio est extra rationem substantiæ individuae, & accidentaria illi; sicut, & ipsa quantitas; unde distinctio quantitativa, & divisio ratione illius accidentalis est substantiæ, & supponit aliam substantialem distinctionem, quæ solet vocari entitativa, ad quam, vt ad priorem, & vt ad præsuppositam, non eget substantia quantitativa.

33 Vltimo principaliter probatur omnibus rationibus, quibus primam nostram conclusionem contra Caietanum demonstravimus; efficacius enim hanc, quam illam probant.

SUBSECTIO III.

Secunda conclusio ponitur.

34 Sententia Bañez non est Thomistica, sed maxime aliena est, maximeque discedit à principijs Thomistarum; ex quo manifeste colligitur quantum veritatis habeat sententia Thomistarum; siquidem ipsi Thomistæ iam inter se tantum discrepant, vt videre est inter Bañez, & reliquos; nam illi tenaciter asserunt principium individuationis esse materiam signatam quantitate, ita vt quantitas sit ratio formalis constituendi materiam in esse principij individuantis, Bañez autem asserit, quantitatem non esse ra-

tionem formalem, aut extrinsecam, aut intrinsecam constituendi materiam primam in esse principij individuationis, sed solum conditionem sine qua non, quod quantum distet à sententia Thomistarum, sic demonstrat. Nam Thomistæ perpetui sunt in assignanda individuatione rei substantialis sic primo ab hac forma, & ab hac materia, cæterum forma, cum secundum se sit communicabilis, limitatur per hanc materiam; hæc autem materia, cum non sit ex se distincta, nec ex se divisa secundum multas portiones materiæ, & debeat respicere formam vt divisa, & distincta ab alijs portionibus, seu partibus materiæ, non individuatur ex se ipsa, sed à quantitate, quæ secundum Aristot. vt ipsi Thomistæ constanter asserunt, est principium distinctionis, & divisionis materialis, & ideo Capreol. Caiet. & alij asserunt Aristot. 1. Phys. tex. 1. asserentem quod summa quantitate, remanet substantia indivisibilis; in hac autem ratione supponitur, quod quantitas est principium distinctionis, & divisionis numeralis, & non conditio, quia supponitur in sententia Thomistica vt certum, materiam primam non individuari ex se, neque à forma: ergo à quantitate tanquam à principio divisionis. Banez autem discedens ab hoc cogitur necessario dicere quod materia à se ipsa individuatur, vel quod individuatur à forma, & forma à materia in diverso genere causæ vt expresse fatetur Bañez; ergo hæc sententia Bañez maxime discrepat à sententia Thomist. & nimium quantum videtur accedere ad nostram opinionem.

Confirmatur; quia si quantitas solum est conditio sine qua non sit hæc, & principium individuationis, rogo à Magistro Bañez à quo principio intrinsece individuatur? à se ipsa non in sententia Thomistarum, quia neque differt ab alia materia secundum se totam, quia cum illa partim convenit, & partim differt. Item non differt ab alia materia solo numero: sed essentialiter, & specificè, insuper materia secundum se est communis, ac tandem redirent omnia argumenta, quibus Schola D. Thomæ probat, substantiam materialem non individuari à se ipsa; quæ vel nihil probant, vel idem probant de materia, non à forma, vt contendit Bañez in genere causæ formalis, quia forma constituit speciem, & limitat materiam ad esse specificum, vt principium physicum, à quo sumitur differentia metaphysica specifica, constat autem in Schola Thomistica quod distinctum est principium physicum specificum à principio physico individuali; imo hoc contendunt Thomistæ in tota hac controversia: ergo Bañez contra principia Thomistica procedit; Quod declaratur, quia quando auditur inter Thomistas, quod materia limitatur per formam, & forma per materiam in diverso causarum genere semper Thomistæ intelligunt, non de eadem limitatione, ad esse individuale videlicet, sed de diversa, quia materia limitat formam ad esse hanc, & individuum, forma vero limitat materiam ad esse specificum, quod hac capitali inter ipsos ratione suadet: Quia omnis distinctio numerica est materialis, & omnis specifica est formalis, & quæ distinguuntur forma, distinguuntur essentialiter, quæ vero sola materia, distinguuntur numerice, & hinc convincuntur ad asserendum, omnes Angelos esse distinctæ speciei, quia sola forma differunt, & vi-

Quæst. IV. Vtrum materia prima, &c. 313

rum, & feminam non differre species, sed solo numero, quia solum distinguuntur ex sola dispositione diversæ materiæ: ergo Thomista non debet faceri materiam individuam per formam in genere causæ formalis; imo in Schola Thomistarum est implicatio in terminis, & suppositum negari deberet, quia omnis individuatio positiva est in genere causæ materialis, & nulla agnoscitur in tali Schola in genere causæ formalis, quia apud illam nulla est individuatio formalis, sed materialis, alias quæ solo numero distinguuntur, non solum materialiter, sed formaliter distinguuntur, & unitas individualis non esset iam carentia divisionis per principia materialia, sed etiam per principia formalia limitativa in genere causæ formalis principij materialis, quæ tali scholæ sunt nimium adversa; vnde Magister Bañez adversatur admodum Thomistis.

Deinde, quia hæc doctrina Bañez non docet aliquid particulare de quantitate, vt conducatur ad individuationem substantiæ, quod de æqualitatibus etiam dici non possit, sed schola Thomistica hoc esse particulare in quantitate docet, quod per eam individuetur materialis substantia: ergo hæc opinio non bene explicat materiam signatam quantitate: maior probatur; quia hæc opinio eatenus ponit quantitatem conducere ad individuationem substantiæ materialis, quatenus est conditio sine qua non hæc materia vniatur huic formæ; sed qualitates, & dispositiones antecedentes sunt conditio, sine qua non hæc materia huic formæ, huicque quantitati vniatur, vt constat, quia materia sigillatur, & determinatur ab his dispositionibus pro priori naturæ introductionis formæ, vt hanc formam, hancque quantitatem recipiat: ergo nihil docet particulare hæc opinio de quantitate, quod non conveniat etiam qualitatibus, imo prius qualitatibus conveniet, quam huic quantitati huius formæ, quia materia sigillatur, & determinatur dispositionibus, vt tenaciter fatentur Thomistæ, antecedentibus, vt hanc quantitatem recipiat in instanti generationis, & non e contra, atque adeo si in sensu conditionis sine qua non dicit Thomista, quod materia signata quantitate est principium individuationis: ego etiam dicam, quod materia signata qualitatibus dispositivis ad introductionem formæ, & quantitatis, est principium individuationis. Exemplum sit in hoc igne, quem vt omnes Thomistæ asserunt S. Thomas docet individuari per materiam ignis signatam quantitate ignis; si solum intelligitur vt conditio sine qua non hæc materia vniatur huic formæ ignis, quare non dicitur etiam, quod materia signata calore, & siccitate, & modificata per has dispositiones antecedentes in instanti introductionis formæ ignis est principium individuationis, quia etiam istæ qualitates sunt conditiones, sine quibus non hæc materia vniatur huic formæ ignis, & adverte, quod non loquor de dispositionibus concomitantibus ipsam quantitatem ignis, quia cum istæ qualitates supponant quantitatem in priori naturæ efficientem materiam, vt ipsi aiunt, responderi posset potius individuari per quantitatem, quam per has dispositiones, quia quantitas est prima, & præstantior conditio sine qua non, & quasi cæterarum dispositionum concomitantium radix, & fundamentum ipsas secum trahens; sed de dispositionibus antecedentibus toto tempore alterationis materiæ ad formam ignis, ipsamque

R. P. Ildelf. de Peñañel, Theol. Schol. Tom. I.

sigillantibus, & modificantibus pro instanti introductionis formæ; istæ enim potius determinant hanc quantitatem ignis, quam ab ipsa determinentur, potius sunt conditiones sine quibus non materia vniatur huic quantitati, huicque formæ, quam e contra quantitas ignis sit conditio sine qua non materia vniatur his dispositionibus: non ergo recte explicat hæc opinio materiam signatam quantitate secundum principia Thomistica, quia potius illi maxime adversatur.

Vltimo sic probatur; quia in Schola Thomistica absurdum est, formam esse principalis, & potissimum principium individuationis; hoc sequeretur ex dicta expositione; ergo potius illa est pro nobis, & pro Societatis sententia, quam pro Thomistica; imo huic maxime opponitur: maior satis constat ex communi consensu Thomistarum: probatur minor secundum hanc interpretationem, cum quantitas sit solum conditio sine qua non individuationis materiæ, hæc substantialiter præcedit individua per formam, & forma per materiam in diverso genere causæ: ergo materia non est principium talis individuationis, nisi quatenus limitatur, & hæccitatur per formam; ergo forma principalis, & præstantius convenit esse principium individuationis; si enim corpori non convenit disgregare visum, nisi quatenus est sub albedine, albedini proprius, & principalis convenit disgregare visum.

Et si dicas, quod est mutua dependentia in diverso genere causæ, & quod forma non potest limitare materiam in genere causæ formalis ad esse huius, & individua secundum se præcise, sed quatenus etiam ipsa limitatur ad esse huius, & individua per materiam in genere causæ materialis.

Opponam ego manifeste, quod quando est mutua dependentia in diverso genere causæ, ad investigandum, vtra harum sit præstantius principium illius effectus, inspicienda sunt illa causarum genera, & quod inventum fuerit præstantius genus causæ, quod secundum illud causat talem effectum est principalis principium; sed forma causat individuationem in genere causæ formalis hæccitando materiam, & materia in genere causæ materialis hæccitando formam, & horum geherum causarum præstantius est genus causæ formalis: ergo forma est principalis principium individuationis, quod est absurdum in Schola Thomistica; hoc autem non sequitur ponendo formam individuari per materiam, & materiam non individuari per formam, sed per ordinem ad quantitatem, quia cum forma, non causet individuationem compositi substantialis, nisi dependenter in sua hæccitate, & individuatione à materia, quia à forma in sua hæccitate non dependet: relinquitur, quod materia sit principalis, & fontale principium totius individuationis substantialis; sicut hac ratione docent omnes, quod forma est principium principalis, & fontale speciei esse; non quia materia simul cum forma non causet speciem rei substantialis materialis, sed quia materia non causat speciem, nisi quatenus limitatur ad esse speciei per formam, forma vero ita limitat materiam ad esse speciei, vt materia neque in altero genere causæ materialis nimirum ad esse speciei formam limitet; & hæc semper est limitativa, illa limitabilis circa esse individuale; e converso se ge-

R 7

314 Disp. IV. De principio individuationis.

runt forma semper est limitabilis per materiam, & non limitans materiam, hæc autem semper est limitata per formam; unde sicut illa ratione forme est radix, & principium fontinale esse specifici, sic eadem ratione materia est radix, & fontinale principium esse individualis in sententia Thomistarum, cuius schola dissipatur in hac parte ponendo formam, & materiam mutuo se limitare ad esse individuale in diverso genere causæ, ut à nobis probatum manet; quod forsitan perpendens Magister Bannez 1. lib. de gener. q. 3. art. 7. in 3. conclus. habet satis exploratum in doctrina Thomistica materiam non posse reddi individuum per formam, sed recurrendum esse ad quantitatem his expressis verbis. Hæc materia effici non potest hæc per formam, cum ipsa de se sit communicabilis, sed per quantitatem, de cuius ratione est naturam distinguere; quomodo ergo ponens quantitatem solum conditionem, sine qua non, se remittit, respondens ad primum ex duobus quæ contra hanc interpretationem proposuerat argumentis ad art. 7. sicutatem ut ostendat individuationem substantialem materię eo quod ibidem probabiliter explicuerat modum hunc limitationis materię per formam, & formam per materiam in diverso genere causæ, non advertens hunc modum limitandi materiam ab ipsa solum esse positum ut probabilem; & tandem in 3. conclusione ut magis Thomisticum oppositum asseruisse: tota tua interpretatio de materia signata quantitate, cui potissimum hæret, certe deficit ab Schola Thomistarum.

Ex quibus colligitur evidenter quantam vim, ac pulchritudinem habeat veritas nostræ sententię, siquidem ipsos Thomistas ita titubare facit, ac in sua sententia labantes reddit, ita ut maiorum gentium Magistros in Schola Thomistica cogat ab illorum sententia aliquando deficere, & tantum inter ipsos discrepare; in quo eodem modo, ac in doctrina catholica elucet veritas; nam ut fides Christiana sua constantia, & pulchritudine attrahit ipsos adversarios, facitque ut à doctrinis fidei catholice adversariis discedant: sic similiter constantia nostræ opinionis, ac pulchritudo adversarios allicit, ipsosque cogit, ut relictæ ea opinandi, & explicationum varietate circa materiam signatam, ad unitatem, quod fortius, & principalius argumentum est veritatis doctrinæ nostræ, quæ ex solutione argumentorum, & demonstrationibus factis clarissime patet.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria solvuntur.

38 Ad primum respondetur principium individuationis aliud posse esse physicum, & aliud metaphysicum, in univsumque non omnem substantiam individuum habere principium physicum suę individuationis, sed solum quæ compositæ sunt ex partibus physicis, materia scilicet, & forma, principiumque individuationis metaphysicum esse ipsam rei entitatem, solumque penes inadæquatos conceptus nostros distingui in ea naturam specificam, & differentiam individua-
lem illam contrahentem; quare hæcceitas in nostra sententia ex natura rei non differt à natura specifica, quam contrahit, unde non sequitur à

parte rei naturam specificam formaliter esse universalem, vel indifferentem, ad universalitatem, & singularitatem. Item neque sequitur hæcceitatem per aliam hæcceitatem futuram hanc, & singularem; sicut neque sequitur rationem communem differentię specificę contrahi per aliam differentiam specificam; sed quemadmodum alibi dictum est differentias específicas seipsis confuse conceptis convenire, & seipsis expresse conceptis differre, communemque rationem differentię specificę contrahi, & participari ab hac differentia per maiorem expressionem ex parte contrahentium. Itā similiter dicimus de differentia individuali rationem scilicet communem abstractam ab hac, & illa hæcceitate non egere alia hæcceitate, per quam reddatur hæc, & singularis, cum ipsa intime, & essentialiter imbibita, & inclusa sit in quacunque ultima ratione potente illam contrahere.

Insuper addo differentiam individua-
lem contractivam naturę specificę substantialis esse substantialem; est enim eadem entitas, & realitas cum illa; unde non potest sumi nec à quantitate, quia est accedens, nec à materia prima, quia est communis multis individualibus numero distinctis, & etiam, quia potest dari individuatō vera, & realis sine eo quod sumatur à materia prima. Nam Angelus Gabriel distinguitur non solum specie, sed etiam numero ab Angelo Michaelē, quia Angelus Gabriel non solum habet essentiam specificam, sed etiam naturam illam individuatam per differentiam individua-
lem; unde verum individuum est Gabriel, ac proinde non solum specie distinctum, sed etiam individualiter à Michaelē. De hac enim individuatione Gabrielis interrogo ab adversariis à quo sumatur: non à materia, quia in Gabriele nulla materia prima datur; unde falsum est principium adversariorum asserentium omnem individuationem sumi à materia prima, siquidem vera individuatō est Gabrielis Angeli, quæ minime sumitur à materia, cum nulla materia detur in tali Angelo, unde verius dicitur sumi talem individuationem à forma totius Angeli, seu ab actu completo ipsius naturę, & sic verius etiam erit individuationem in substantia corporea non sumi à materia, licet illa detur, sed à forma compositi, & ab actu substantiali ipsius. Deinde Angelus habet distinctos numero motus locales, distinctas præsentias, cognitiones, & volitiones solo numero distinctas, & tamen earum rerum individuatō, quia est spiritalis, non sumitur à materia; ergo aliquæ individuationes intra eandem speciem non sumuntur à materia.

Dices eas res individuari ab ipso Angelo, qui est subiectum illorum accidentium. Contra: ergo iam univsum multiplicatio individuationis non sumitur à materia prima, sed à rebus spiritalibus.

Ad secundum optime ait P. Suarez nullam habere efficaciam, quia est longe diversa ratio de subiecto inhaesionis, & de subiecto prædicationis; quamvis enim excogitari possit quædam proportio inter hæc duo subiecta; nam superius comparatur ad inferius sibi subiectum ut forma datus esse; tamen simpliciter non sunt eiusdem rationis, neque vnum fundatur in alio; unde in simplicibus substantiis est subiectio, seu subordinatio inferiorum ad superiora sive subiecto inhaesionis, sive informationis; adde id, quod est subiectum

Quæst. V. Vtrum principium, &c. 315

Ad prædicationis ex se non esse imperfectius suo prædicato superiori, sicut materia quæ est primum subiectum, est inferior forma, & ideo necessarium non esse ut id, quod est primum subiectum in ordine generationis, & imperfectior sit primum principium, & fundamentum individui, quod est primum subiectum ordine prædicationis, continens in se omnem perfectionem superiorum, & addens aliquid proprium, quo illa veluti complet, ac perficit.



QVÆSTIO V.

Vtrum forma sit principium individuationis in subiectis corporeis, & in materia, ac forma quod sit principium individuationis earum?

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

RIMA sententia asserit principium individuationis non esse formam: probatur sic primo, quia principium individuationis debet esse incommunicabile; sed forma est communicabilis materię ut subiecto: ergo forma non est principium individuationis; maior est evidens, quia principium, & principiatum debent habere proportionem; sed principiatum, quod est individuum, est incommunicabile multis: ergo etiam principium talis individui debet esse incommunicabile.

Secundo sic probatur; quia differentia individualis est differentia materialis; & differentia specifica formalis: ergo differentia individualis sumitur a materia specifica, & non a forma.

Tertio, quia differentia specifica habet pro principio physico id, per quod distinguimur specie, & differentia individualis est id, per quod distinguimur numero, sed per formam distinguuntur homo ab equo specie: ergo differentia specifica sumitur a forma, & differentia numerica debet sumi a materia, quia per distinctas materias numero distinguimur. Probatur hæc consequentia, quia si differentia individualis sumeretur a forma distincta individua numero distinguerentur formaliter; unde, & essentialiter, quod est absurdum. Deinde unitas individualis non esset iam carentia divisionis per principia materialia, sed etiam per principia formalia limitativa in genere causa formalis principij materialis.

Secunda sententia asserit neque formam, neque materiam posse habere suam individuationem ex propria entitate; & probatur.

Primo, quia nec materia, nec forma cum alia materia, & cum alia forma differunt se totis, neque sunt primo diversæ, itavt in nullo assimilentur, neque convenient: ergo principium individuationis earum non est tota entitas, quia principium individuationis est principium distinctionis dissimilitudinis, & disconvenientiæ. Antecedens certum est, ac satis notum, consequentia patet: forma Petri, & materia Petri ex vna parte, & ex alia forma Pauli, & materia eius non sunt dissimiles, diversæ, vel distinctæ se totis; sed si tota entitas heret principium individuationis; & distinctionis formæ, & materiæ Petri a materia, & forma Pauli, tales materiæ, & formæ se totis differrent, & dissimiles forent, nec posset assignari in illa eadem entitate aliud, in quo disconvenient, & differrent, & aliud in quo convenient, & assimilerentur: ergo tota entitas illarum non est principium individuationis. Patet minor, quia si tota entitas est principium disconveniendi, & distinguendi, secundum totam entitatem dissimilarentur: ergo ita se totis distinguerentur, ut in nullo convenient.

Confirmatur eadem minor; quia principia individualia debent esse ita primo diversa, ut in nullo univoco convenient, & assimilentur; sed per te tota entitas formæ Petri est principium individuationis eius: ergo secundum totam entitatem dissimilatur a forma Pauli; ergo in nulla ratione convenient, quod est absurdum; nam hæc forma Petri, & illa forma Pauli conveniunt in aliquo univoco, & specifico conceptu, non ergo ab illis potest desumi principium individuationis, & consequenter falsum est, quod seipsis suæque propria entitate sine habitudine ad aliud, tanquam ad radicem formæ ut materia sit individua.

Secundo, tota entitas includit essentiam, & gradum hæccitatis; sed individuo non sumitur ab essentia præcise, quia hæc non determinat hæc potius, quam illam individuationem, neque ab hæccitate, quia ut supra dicebamus huius hæccitatis radicem, & principium quærimus, quare potius huic essentia, quam alteri conveniat: ergo individuo non sumitur a propria entitate.

Tertio conceptus entitatis supra essentiam nihil aliud addit, nisi singularitatem, hæccitatem, & individualement differentiam: sed essentia secundum se non potest esse principium individuationis, quia est indifferens, & de ipso gradu individuali difficultas est, a quo in huiusmodi essentia originetur: ergo entitas, ut entitas est formæ vel materiæ, quæ nihil est aliud in ista formalitate, quam essentia pro ut individua, non est principium individuationis, quia hoc est quod quærimus, unde habeat hæc essentia, supposito quod ex se est indifferens quod illi determinate conveniat huiusmodi hæccitas, & individuat.

Quarto, ut forma, v. g. vel materia ut sic red- datur individua, & hæc entitates egent gradu positivo addito quod sit hæccitas, vel individualis differentia: ergo ex se ipsa non est principium huius individuationis, seu hæccitatis; antecedens est certum, ex dictis in Dialectica, sed supposito quod hæc forma est singularis, & individua per gradum sibi additum positivum ex se, & per se non determinat hanc individuationem, sed ad ipsam est indifferens: ergo hæc forma se ipsa non est principium individuationis propriæ; minor patet, quia eo quod res materiales secundum se sunt indifferentes ad hanc vel illam individuationem, additur metaphysice loquendo gradus positivus, quo hæc forma trahatur ad fundandam hanc negationem, quam unitas individualis importat, ad differentiam Dei, & Angelorum, quorum naturæ cum ex se non sint communicabiles multis per divisionem in ipsis, ex se sunt singulares, & determinant absque positivo addito hanc negationem in qua consistit formaliter individuum: habemus ergo quod forma secundum se non est

Rr 2 princ